

sed persona prioris maneat onerata: » est- que proxime dictum concl. præced.

94. Confirmatur eadem conclusio, tum quia ecclesiastica beneficia canones præci- piunt sine ulla diminutione conferri, can. *Si quis præbendas*. l. q. 3. juncto rubro, et nigro h. t. Simulque sectio beneficii peni- tus improbat a jure; ut c. *Majoribus*. 8. et c. *Tuæ fraternitatis*. 20. de *Præbend.* et cit. c. *Nisi essent*. eod. ibi: « Ne forte circa pro- ventus aliqua videatur facta sectio priora- tus: » non obstante, quod hic intervenerit causa cæteroquin justa, et sufficiens ad im- ponendam pensionem, saltem ad vitam gra- vati: nempe « bonum pacis et utilitatis, » uti loquitur textus.

95. Ex quo etiam rejicitur quorundam re- sponsio, asserentium, per hæc, vel alia hu- jusmodi jura solummodo probari, quod sine licentia Papæ non possit ordinare, ac regu- lariter, imponi beneficiis pensio transmissi- bilis ad successorem: secus autem esse sub- sistente justa et necessaria causa, vel ob uti- litatem Ecclesiæ; tum quia in causa cit. c. *Nisi essent*, suberat justa casu; videlicet bo- num pacis, et utilitatis, in ipsam quoque Ecclesiam redundans: et tamen Pontifex de- terminavit, non posse imponi prioratui pen- sionem transmissibilem ad successorem; tum quia novissime de mandato S. D. N. Innocentii Papæ XII. expresse prohibitum est, « ne in posterum graventur parochiales, etiam jurispatronatus laici, pensionibus; » prout patet ex edicto, infra n. 100. referen- do: atqui per pensionem transmissibilem ad successorem gravarentur Ecclesiæ parochia- les, et non sola persona primi beneficiarii gravati; tum tandem, quia contra tot ex- pressa jura nihil conveniunt rationes oppo- sitæ sententiæ, ac n. 91. relatæ.

96. *Solvuntur contraria.* — Imprimis enim ex c. *De cætero*. 5. de *Transaction.* nihil pro- batur. Quia argumentum a sensu contrario desumptum non procedit, quando exinde re- sultat correctio jurium; prout fieret in proposito, Fagnanus, cit. c. *Nisi essent*. n. 63. de *Præbend.* estque jam dictum supra lib. 1. tit. de *Constitutionibus*. § 16. n. 408. Nec ur- get textus ex cap. un. § fin. h. t. Nam, etsi episcopus ante collationem beneficii (una cum capitulo suo, ut explicat Glossa, fin. ibid.) possit constituere, ut proventus bene- ficiales ad tempus retineantur pro causa justa et necessaria, v. g. pro reparatione Ecclesiæ ruinosæ: inde tamen nullatenus

sequitur, quod possit beneficiis imponere pensiones ad successorem transmissibiles: ista quippe sunt valde diversa, neque ex di- versis fit illatio. Barbosa, *Axiomat.* 114.

97. Neque urget ultima ratio. Quia ex di- visione, aut dismembratione beneficiorum, non sequitur horum sectio, sive scissio: talis videlicet, per quam proventus unius benefi- cii dividuntur in duos. Nam per divisionem eriguntur duo beneficia, una cum propriis redditibus; et per dismembrationem reddi- tus ab uno beneficio in perpetuum separan- tur, atque annectuntur alteri; idque contin- git non ad privatum interesse alicujus clerici (puta, pensionarii) sed ob publicam utilita- tem, augendumque cultum divinum, et ani- marum salutem melius procurandam: secus fit in pensione ad successorem transmissi- bili. Unde patet imbecillitas contrarium: alio- quin certe, si quid probarent, manifeste se- queretur, quod episcopus ex causa rationabili posset novam et perpetuam pensionem be- neficio imponere, sicut potest ex justa causa in perpetuum dismembrare beneficia, atque ob multitudinem, seu distantiam parochiano- rum, dividere in perpetuum Ecclesias paro- chiales: quod est contra dicta n. 87. et com- mune doctorem.

98. *Illicitum est resignare beneficium cum pacto seu conditione apposita solvendi pensio- nem.* — Quæritur III. Utrum sit licitum resi- gnare beneficium ecclesiasticum, reservata annua pensione? Resp. I. Illicitum est, at- que simoniacum, resignare (aut conferre) be- neficium cum pacto, seu conditione apposita solvendi pensionem. Ita divus Thomas 2. quæst. 100. aut. 4. in fin. loquens in casu, quo episcopus conferens alteri beneficium, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii: quia (inquit) « idem est, ac si aliquid munus ab eo exigeret; et non ca- ret vitio simoniæ. » Idipsum tenet Abbas, cap. un. n. 14. *Ut ecclesiastica beneficia*, etc. Garcias, part. I, de *Benefic.* cap. v, n. 340. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 11; Fagnanus, c. *Nisi essent*. n. 18. et 19. de *Præbend.*, istud intelligens tam de episcopo in collatione be- neficii paciscente, ut sibi solvatur pensio; quam de alio, puta de resignante, simile pactum ineunte cum resignatario: atque as- serens, casum hunc non esse dubium. Ratio est, quia omne pactum, omnisque conventio, quæ jure non inest, adjecta collationi bene- ficii, efficit eam simoniacam: ut can. *Quam- pio*. l. q. 2. et cap. ult. de *Pactis*. et c. *Quæ-*

situm. 5. de *Rerum permutat.* cum similibus. Unde etiam in c. *Nisi essent*. 21. de *Præbend.* pensionem quadraginta librarum, ad dies gravati prioris alteri pro bono pacis constitu- tum, non aliter Papa toleravit, nisi quia « non ex pactione partium, sed ex jussione judicum » debebat exhiberi.

99. *Etiam seclusa omni pactione regulariter renuntiatio beneficiorum sub reservatione pen- sionis est prohibita.* — Etiam seclusa omni pactione, seu conditione apposita, regulariter loquendo renuntiatio beneficiorum sub re- servatione pensionis sibi annuatim præstan- tæ, coram episcopo, vel alio collatore Papa inferiore, fieri non potest; neque ab hoc ap- probari, vel admitti. Ita Barbosa, l. III. *Jur. eccles. univers.* cap. xv. n. 479; Engel, h. t. a. 10. et alii. Concordat novissimum edic- tum, jussu S. D. N. Innocentii Papæ XII. emanatum, tenoris sequentis.

100. *Refertur quoad hoc novissimum edictum non gravandi Ecclesias parochiales pensionibus.*

EDICTUM

Non gravandi Ecclesias parochiales pensionibus.

Bandinus tit. S. Pancratii presbyter cardinalis, sanctissimi Domini Nostri vice datarius.

« Cum velit sanctissimus Dominus Noster ex paterna sua charitate, et zelo, excitare parochos ad majorem vigilantiam, pro ani- mabus ipsorum curæ commissis, atque faci- liorem ipsis sternere viam subveniendi earumdem necessitatibus per copiosiores eleemosynas. Idcirco accepto oretenus a Sancti- tate Sua expresso mandato, præcipimus, et statuimus, ne in posterum graventur paro- chiales, etiam jurispatronatus laici, pensio- nibus; atque hoc etiam observetur ab ipsis locorum ordinariis, in provisionibus ad ipsos spectantibus. Præterea, ne admittantur resi- gnationes, aut permutationes parochialium cum reservatione pensionum; ad cujuscun- que favorem, et sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum; multoque minus reserventur pensiones super easdem paro- chiales, sine causa, beneficio pleno, cum consensu possessorum, sub quacunque causa et titulo. Ex Dataria hac die 11 novem- bris, 1692.

« Bandinus cardinalis, vice datarius. »

101. *Idipsum probatur rationibus.* — Ac- cedit ratio, tum quia beneficia ecclesiastica

sine diminutione sunt conferenda; uti habe- tur toto titulo, « Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. » Atqui epi- scopus nequit dispensare in jure communi, et contra sacros canones, saltem regulariter loquendo, ac extra casum necessitatis; ut dictum supra lib. I. tit. II. de *Constitutioni- bus*. § 18. n. 465. et seqq.; tum quia talis resignatio, in effectu est permutatio benefi- cii ecclesiastici pro parte fructuum annua- tum præstandorum; et consequenter cum fructus ut a beneficio separati, sint quid temporale, fieret permutatio rei spiritualis pro temporali, quæ foret manifesta simonia; tum tandem, quia quod beneficium simpliciter, et pure nulloque pacto interveniente sint resignanda, liquet ex c. *Ex parte XII. de Offic. delegat.* et c. *Super eo*. 7. de *Transaction.* et cap. ult. de *Pactis*, et c. *Quæsitum*. 5. de *Rerum permutat.*

102. *Ex gravi tamen causa potest episcopus resignanti pensionem constituere.* — Additur notanter in data conclusione, « regulariter loquendo. » Nam, quod ex justa gravique causa (puta, quia resignans est ætate decre- pitus, vel infirmus; aut quia pro bono pacis fit resignatio beneficii litigiosi, et hujusmo- di) possit episcopus resignanti pensionem constituere, persolvendam ipsi ad vitam cle- rici gravati, seu consentientis in eam: satis probatur ex c. *Nisi essent*. 21. de *Præbend.* et tradit Barbosa, ibid. num. 8, et Fagnanus, n. 28. asserens hanc esse receptissimam sententiam. Abbas, c. *Ad audientiam*. 34. n. 6, et Felinus, ibid. n. 2. de *Rescript.*; Navarrus, consil. 4, n. 1. et 2. de *Simonia*; Piasecius, in *Praxi episcopali*, part. II. cap. v, n. 64; card. Tuschus, litt. P. concl. 269; Nicol. Garcias, part. I. de *Beneficiis*, cap. v, n. 295 et seqq., citans quamplures alios, et solvens contraria; atque concordant dicta superius n. 89.

103. *Respondetur ad novissimum edictum.* — Neque his contrariari videtur novissimum edictum n. 100. relatam. Nam prima, sicut et postrema pars, loquitur de pensionibus ipsi beneficio imponendis, seu quibus gravan- tur Ecclesiæ parochiales: sive dein id fiat, dum vacant, ac de novo conferendæ sunt; sive, dum plenæ sunt, atque accedit consen- sus possessorum: de hujusmodi enim pen- sionibus data conclusio non loquitur, quin- imo hæ paulo superius, videlicet n. 92. 93. et seqq. ex professo rejectæ fuerunt. Ad alte- ram vero partem, prohibentem, « ne admit-

tantur resignationes, aut permutationes parochialium cum reservatione pensionum ad cuiuscunque favorem, et sub quocunque titulo, etiam praestationis alimentorum, responderi potest eo modo, quo in simili ad constitutionem B. Pii V. quae incipit, *Intolerabilis*, contra confidentias 1369. Kal. junii emanatam, respondet Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 83. n. 11. citans Nicol. Garciam, part. I. *de Beneficiis*, cap. v, n. 313. et Filiucium, tract. XLII. *de Pensionibus*, cap. III, n. 5, videlicet, quod ejusmodi verbis non sit ab episcopis abrogata aliqua facultas, qua prius licite uti poterant: sed solum prohibeatur, vel puniatur impositio pensionis ab episcopis facta sine causa, videlicet rationabili et justa.

104. Atque hunc intellectum important ipsamet verba allegati edicti; ut ubi: « Cuiuscunque favorem: » Qui favorem duntaxat nemo rationabiliter agnoscet pro justa causa imponendi pensionem, etiam ad vitam solius gravati duraturam. Item ibi: « sub quocunque titulo, etiam praestationis alimentorum: » nam per ly, « quocunque titulo, » non excludi justam causam, sed duntaxat quemcunque titulum futilem, fictum et coloratum, probat clausula illa, « etiam praestationis alimentorum. » Siquidem dictio *Etiam* est implicativa; atque exprimit casum magis dubitabilem, simul tamen implicando, seu involvendo casum minus dubitabilem. Barbosa, tract. *de Dictionibus* dict. 112. n. 1. citans plurimos alios. Unde consequens est, quod praecedens clausula, « sub quocunque titulo, » denotet casus minus dubitabiles, minusque ponderosos, ac est praestatio alimentorum: tales autem non possunt esse, nisi tituli futiles, ficti aut colorati; cum et praestatio alimentorum secundum se praecise spectata, et seclusa quacunque circumstantia graviore, non fit majoris ponderis. Patet enim, quod quilibet homo indigeat alimentis quotidianis; ergo, si semel concederetur, hunc titulum se solo ac seclusa v. g. paupertate resignantis, vel alia ponderosior circumstantia, sufficere pro constituenda pensione, quilibet clericus resignans, etiam opulentissimus, posset sibi in beneficio resignato reservare pensionem, auctoritate superioris constituendam: quod utique foret absurdum; praerberetque portam latissimam pensionibus, ac diminutioni reddituum beneficialium merito auctoritate apostolica denuo praclusam. Quanquam si clericus resignans revera sit pauper, non idcirco

videatur prohibitum, moderatam pensionem eidem constituere, ne vel ob defectum alimentorum mori, vel in opprobrium status clericalis mendicare cogatur.

105. *Resignans pro reservanda sibi moderata pensione, ex rationabili causa, potest antea episcopo supplicare.* — Quinimo, quod existente rationabili causa pro reservanda sibi moderata pensione possit resignans ut securior sit, episcopo ante suam resignationem supplicare; desumitur ex c. *Tua nos*. 34. *de Simonia*, ibi: « Rogans humiliter: » ac notat Engel, h. t. n. 10.

106. *Atque cum successore amicabiliter componere, submittendo tamen se dispositioni episcopi. Quamvis nonnulli hoc posterius videantur improbare.* — Insuper possunt partes prius inter se tractare, atque resignans super aliqua pensione sibi danda cum successore amicabiliter componere: non quidem absolute, et quasi per se ipsos illam concludendo (hoc enim non careret labe simoniae, saltem ecclesiasticae, c. *Quaesitum de rerum permutat.* junctis dictis n. 98.) sed sub conditione, re-lata in consensum superioris, seu episcopi, in cujus manibus beneficium resignatur, ac sese submittendo dispositioni ejus Glossa, in Clem. un. 7. *Volentibus. de Rerum permutat.*; Abbas, in cit. *Quaesitum*. n. 10. eod. hanc opinionem appellans verionem; Navarrus, consil. 18. n. 1. *de Simonia*; Layman, lib. IV. *Theolog. moral.* tract. X, cap. ult., § 5, n. 50; Suarez, Sylvester, et plures alii; et concordant dicta superius lib. I. tit. IX. *De Renuntiatione*. § 4. n. 102. et 103. Quidquid nonnulli et signanter Garcias, cit. part. I, cap. v, n. 340, et 343. et Fagnanus, c. *Nisi essent*, n. 5, *de Praebend.* contradicere videantur; asserendo, quod compositiones pro beneficiis, et beneficialibus, ad hoc, ut valeant, et a simonia excusentur, debeant capere principium ab auctoritate superioris, et non a pactione seu conventionione partium: quanquam etiam hi auctores de pactione, seu conventionione absoluta partium, et non de compositione amicabili juxta consensum superioris, intelligi possint. (ADNOTATIO XVII.)

TITULUS XIII

De rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Postquam in praecedentibus visum est de rebus,

juribusque clericorum spiritualibus, nimirum de praebendis et dignitatibus, necnon de potestate disponendi circa ipsas; merito in hoc, ac sequentibus titulis, tractatur de rebus eorundem temporalibus. Et quia quandoque res ecclesiasticas expedit alienare, non raro autem id foret praedjudiciale, atque damnosum ecclesiis; hinc rubrica praesentis tituli duplex continet membrum. Pro cujus meliori intelligentia, sit

§ I.

DE NOMINE ALIENATIONIS, REBUSQUE ECCLESIAE ALIENARI PROHIBITIS.

2. *Quid nomine alienationis intelligatur?* — Quæritur I. Quid nomine *Alienationis* intelligatur? Resp. I. Generatim loquendo, *Alienationis* nomine continetur omnis actus, quo dominium rerum transfertur. Ita textus expressus in l. I. C. *de Fundo dotal.* ibi: « Est autem alienatio, omnis actus, per quem dominium transfertur. » Intellige, quando hujusmodi dominii translatio est voluntaria; non autem necessaria, arg. l. *Peto Luci*. § *Prædium ff. de Legat.* II. Unde, quando ea fit necessario, puta, ex ordinatione testatoris vel ex sententia judicis, non diceretur quis proprie alienare: neque incideret in penam impositam alienanti. Barbosa, tract. *de Appellativa verb. Jur. signif.* Appellat. 14. n. 2. et 4. citans alios.

3. *Sumitur in proposito large.* — Resp. II. *Alienationis* nomen in proposito sumitur large, ac prout complectitur omnem actum quo dominium rei directum, vel utile, aut ususfructus, seu jus in alterum transfertur. Ita Glossa, in c. *Nulli*. 7. *Alienationis* h. t.; Azoris, part. II, lib. IX, cap. 1. q. 2. Barbosa, in *Collectan.* ad Extravag. *Ambitosæ*. n. 5. h. t. inter *commun.* citans alios. Idque patet ex c. *Nulli*, 5. h. t. ubi dicitur: quod « *Alienationis* verbum continet conditionem (alias conductionem) donationem, venditionem, permutationem, et emphyteusis perpetuum contractum: » atque etiam (ut ibid. § 1. dicitur) « specialis hypothecæ titulo » obligationem. Concordat can. *Apostolicos*. 12. q. 2. et Aut. *De non alienandis rebus*, etc. § *Nos igitur*. collat. 2. cum similibus: et amplius habetur in Extravag. *Ambitosæ* h. t. inter *commun.* cujus verba n. 6. referuntur.

4. *Regula est, quod res immobiles, aut mo-*

biles pretiosæ ecclesiarum, etc., alienari non possunt, nisi, etc. — Quæritur II. Quales res ecclesiarum prohibitum sit alienare? Resp. I. Regula est, quod res immobiles, aut mobiles pretiosæ ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum alienari non possint, nisi subsistente justa causa, et servata debita juris solemnitate: et si secus fiat, alienatio non teneat, sed ipso jure sit irrita; atque insuper bona talia ecclesiastica alienans, et sic alienata recipiens, præter alias poenas, juxta diversitatem personarum constitutas, poenam excommunicationis incurrat. Ita patet ex can. *Apostolicos*, cum seqq. 12. q. 2. et c. *Nulli*. 5. et c. *Si quis presbyterorum*. 6. et c. *Ad audientiam*, 9. et seq. h. t. juncto cap. 1. et II. eod. in 5 et Clementinis, quæ innovantur, vel de novo statuuntur in Extravag. *Ambitosæ*. eod. tit. inter *Commun.* et quantum attinet posteriorem partem conclusionis, amplius dicitur infra § 3. n. 62. et 66. ac seqq.

5. *Hæc prohibitio est antiquissima, et jam a tempore Apostolorum.* — Concordat Auth. *De non alienandis, etc.* § *Nos igitur*. Collat. 2. eandem alienationem rerum ecclesiasticarum ex professo prohibens. Quin imo hæc prohibitio est antiquissima, etiam a tempore Apostolorum, arg. cit. can. *Apostolicos*. 12. q. 2. ibi: « *Apostolicos*, et paternos canones renovans, » etc. ac notat card. de Luca, discurs. 13. *de Alienat.* num. 2. allegans alios.

6. *Textus extravagantis, Ambitosæ referatur.* — Solummodo pro majori intelligentia sequentium est prænotandum, quod in citata Extravaganti, *Ambitosæ*. h. t. inter *commun.* præmissis malis, quæ sequuntur, « si immobilia, et pretiosa mobilia Deo dicata, » profanis usibus applicantur, sicque alienantur cum maximo ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum locorum piorum, ac divini cultus detrimento, inter alia Pontifex, seu Paulus Papa II, sic statuerit: « Omnium rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem; omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus, et bonis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis, et tunc ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia